

verum etiam extra Ecclesiam per potentiam, quâ potest sibi subijcere omnia Phil. 3, 21. & secundum quam dominatur etiam in medio inimicorum suorum Ps. 110, 2.

104. Neque solum in medio inimicorum dominatur Christus, consilia illorû dissipans, verum etiam in manu sua habet omnes creaturas, constitutus Dominus super opera manuum Dei, adeoque super omnia, quæ vel in hoc nominantur seculo vel in futuro Ioh. 13, 3. Psal. 8, 7. Eph. 1, 22. & 23.

105. Quibus Coronidis vice, illud Formule Concordiæ addimus: Iam verò postquam nõ communi ratione ut alius quispiam Sanctus in Cœlos ascendit, sed ut Apostolus testatur, super omnes cœlos ascendit, & revera omnia implet, & ubique non tantum ut Deus, verum etiam ut homo **PRAESENS** dominatur, & regnat à mari ad mare & usque ad terminos terræ, quæmadmodum Prophetæ olim de ipso sunt vaticinati, & Apostoli testantur, quod Christus ipsis ubique cooperatus sit, & sermonem ipsorum sequentibus signis confirmavit. *For. Conc. Lat. p. 741.*

106 *Et illud Epitomes libri concordie.* Itaque nõ tantum ut Deus, verum etiam ut homo omnia novit, omnia potest, **OMNIBVS** **CREATURIS PRAESENS EST**, & omnia, quæ in cœlis, in terris & sub terra sunt, sub pedibus suis & in manu sua habet. *pag. 591.*

*Viderint*